



B. V. D.

RECTORE
UNIVERSITATIS HVIVS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAXON. HEREDE.

DE
**SUDORE
COLLIQUATIVO**

PRAESIDE
DN. CHRISTIANO VATERO
PATHOL. P. P. ET PHYS. PROVINC. SAXON. NEG NON
ARCHIATRO ANHALTINO
PATRONO ET PROMOTORE SVO OMNI
HONORIS CVLTV AFFICIENDO.

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET
PRIVILEGIA CONSEQUENDI
AD DIEM IVLII A. MDCCXV.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSTITVTIS
IN AUDITORIO MAIORI
PVBLICE DISSERET.
GABRIEL FRIDERICVS CLAVDERVS
ALTBVRG. MISN.
VITEMBERGAE, FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL.



DISSERTATIO INAVGURALIS
DE
SVDORE COLLIQVATIVO



Nter res non naturales sic dictas, quarum usu et regimine legitimo sanitas hominis integra quam maxime non solum conseruatur, sed amissa quoque et labefactata restauratur, non ultimum, sed primum omnino locum meretur debita corporis perspiratio, utpote quae praे omnibus aliis euacuationibus et secretionibus tam necessaria, ut sine ea, ne per momentum quidem, uita durare, uel conseruari possit; quaque rite se habente, reliquæ secretiones omnes bene succedunt, et sanitas integra conseruatur aut etiam amissa facile recuperatur;

sed uero quocunque modo turbata, aut cohita, ceteras quoque digestiones et secretiones deficere, indeque febres omnis generis, catarrhos, inflammations, aliaque mille mala homini euenire, necessum est. Immo quindecies plures morbos ab impedita, uel perturbata transpiratione in nobis, quam omnium reliquarum euacuationum suppressione, oriri, dixerim. Propterea scite admodum Sanctorius Medicinae Statiae Sect. I. Si quanta, inquit, et qualis oporteat, quotidie fit additio eorum, quae excedunt, sanitas amissa recuperatur facile, et praesens semper conseruatur: Si uero Medicus, qui praeest aliorum sanitati, solum capax additionis et euacuationis sensibilis, et nescit, quanta quotidie illorum sit perspiratio, illos decipit, et non medetur. Ille uero solus, qui scit, quantum et quando magis, uel minus corpus perspiret, nouit quantum et quando erit addendum, uel auferendum, pro sanitate conseruanda et recuperanda. Dignum igitur argumentum hoc mihi uisum, quod loco speciminis Inauguralis, consensu GRATIOSI ORDINIS MEDICI, plenius quodammodo disquirerem. Faxit Deus feliciter!

TH. I.

TH. I.

ET si quidem uita corporis nostri in motu sanguinis et reliquorum humorum blandissimo, eoque cum organis, elegantissime constructis, maxime harmonico consistat, fieri tamen non potest, quin inter motus tales non solum partes, ab alimentis superfluae et recremantitiae, sed etiam utiles et nutritiae simul secedant, et in auras maxime abripiantur. Quo fine a Conditore Sapientissimo, pro diuersitate humorum secernendorum, tam uaria et admirando plane artificio constructa organa accepimus, ut uniuersum corpus nostrum non nisi ex uasorum, tubolorum, glandularum, porolorumque secretoriorum congerie et fasciculo constare, non immerito dici possit.

TH. II.

Ex omnibus tamen, quae per omnem uitam in nobis fiunt secretiones, praecipua, ut diximus, continua summeque necessaria est transpiratio, seu perspiratio insensibilis, qua partes humorum omnium tenuiores, non solum aereae et aquosae, sed cum his quoque aliae salinae, sulphureae, sub forma halitus, uel aurae subtilissimae, nemine aduertente, tacite per uniuersi corporis ambitum, continuo tractu effunduntur, tanta quidem copia, ut reliqurum secretionum, licet maxime sensibilium, faecum nempe aluinuarum, urinae, saliuae, sputi etc., quantitatem longissime superent, ut iam dudum laudatus modo Sanctorius deprehendit, et ingeniosissimo cu-

riosissimoque ponderandi modo l. c. demonstrauit, ac quindecies maiorem materiae quantitatem per vias insensibiles, quam per sensibiles quotidie evacuari probauit. Idque necessitate motus intestini, seu digestorii et progressiui continui, non solum sanguinis, sed reliquorum omnium humorum, non nisi cum uita ipsa finiendi; quod nisi fieret, non solum scoriae inutiles, a quibusvis alimentis superfluae et effoetae, sed ipsae partes eorum nutritiae largius, quam par erat, collectae, uasa sua circulantia ultra capacitatem adimplerent, imo distenderent, distorquerent, aut plane rumperent, eoque ipso transfutum et circuitum humoribus omnibus, absque quotamen, ne per momentum quidem uita consistere potest, intercluderent. Et hinc etiam est, quod illi, quorum corpora difficilius et parcius perspirant, obseruante iam tum Hippocrate nostro, sanitatis tempore robustiores, ob retentos magis succos alibiles, uideantur, ast prae omnibus aliis facilius et frequenter omnis generis morbis, inprimis catarrhis et febribus affligantur, et quo minus transpirant, eo grauius semper laborent, et tardius, uel nullam plane sanitatem recuperent: E contrario uero eorum corpora, quae liberior transpirant, licet minus robusta et firma appareant, eo, quod cum transpirantibus uaporibus inutilibus et superfluis, multum quoque succi spirituosi et elastici ipsis deperditur, tamen rarius morbis, minusque periculosis tentantur, aut si tentantur interdum, beneficio transpirationis liberoris facilius euadunt et conualescunt.

TH. III.

TH. III.

Atque ad hanc perspirationem etiam pertinet sudor in specie dictus, ubi nimis partes humorum magis aquosae, serofae, inter transpirandum largius simul erumpunt, et propter copiam aeremque ambientem in poris cutis statim rursus in guttulas eiusmodi roridas abeunt, aequae ac uapores aquosi ubiuis a frigore premente in guttulas coguntur et conglomerantur. Vtriusque adeo et transpirationis insensibilis, seu sudoris eadem prorsus materia, eadem organa, eaedem causae, modusque secretionis, gradu solum differentes, existunt; eoque minus dubitandum, quod sudatio moderata et blanda, aequae ac transpirationis insensibilis, ad excretiones mere naturales, minus autem praeter naturales pertineat: Sudorem omnino lenem et blandum, etiam exacte fani, modo ab alimentis, modo laboribus et exercitiis corporis, modo atmosphaerae ambientis calore, aliisque causis, citra omne dispendium sanitatis, toto die experiuntur; quibus proinde, quod aliis, minus fanis, uix sudor fortis, id magis praefstat et conductit tenuis udor.

TH. IV.

Quando enim sanguis, et cum eodem, tanquam uehiculo communi, succus chylosus e primis uiis quotidie delatus, per multiplices uasorum meandros, continuo non solum circulatur, sed propter partes suas heterogeneas, salinas, sulphureas aliasque motu intestino digeritur, et ad secretionem impu-

impuritatum praeparatur, fieri non potest, quin inter motus istos partes eiusmodi aquosae, et cum istis quoque aliae heterogeneae attenuentur, resoluantur, et in halitum seu uaporem plus minus aquosum, redigantur: Quod uero in specie etiam partes salinae et sulphureae cum eodem suo uehiculo simul excludantur, uel solus odor et sapor falsus, modo subacidus, urinosus satis superque testantur: *Tacbezius*, ut eo certius rei ueritas constaret, loturam ab indusis, sudore aliquoties imbutis, per alembicum destillauit, eoque ipso copiosum Sal uolatile, Salis ammoniaci instar, impetravit, uti *Hippocrate suo Chimico p. m. 7.* refert. Immo etiam particulas gelatinosas, oleosas et fibrosas, iam tum partibus solidis, nutrimenti loco, intertextas, et conglutinatas simul abradi, et in uaporem eiusmodi modo humidum, modo siccum magis resolui, non solum phthisici, scorbutici aliisque cachectici, sed etiam fani experiuntur, nisi quotidie nouo, et sufficienti nutrimento reficiuntur: Non tamen est, ut, quod aliis uidetur, eandem prorsus ac urinae secretionis rationem et materiam iudicemus, cum nec tempore, nec natura, nec modo secretionis inter se conueniant, uti e sequentibus magis patebit.

TH. V.

Quemadmodum enim sapientissimi Conditoris nostri prouidentia machina corporis nostri uisceribus, miro ordine elegantissime constructis, iisque pro secernendorum diuersitate, uarie admodum fabre-

fabrefactis et formatis, donata; ita pro transpiracionis sudorisque usu, uniuersa eius superficies, seu cutis suis gaudet secerniculis, glandulis scilicet innumerabilibus, ut tota ipsius lamina interior ex iisdem fere constare uideatur; quae autem nihil aliud sunt, quam ipsarum arteriolarum, uenularumque, imo et neruorum extremitates, mirandum in modum inuicem contextae, contortae, et in nodulos quasi complicatae, per quorum tubulos porulosque non nisi subtiliores Sanguinis partes in statu naturali, satis digeri, a crassioribus separari, et uaporetenus excludi possunt. Secundum *Locwenhoeckii*, *Cranii*, aliorumque curiosum calculum, totum corporis nostri integumentum plus, quam uiginti millia secernicula habet, et in spaciolo manus, quod arena fere tegi possit, quinquaginta eiusmodi poruli numerari possunt, e quibus inter sudandum particulae minimae scaturire, et subuenientibus continua serie nouis, in guttulas roridas confluere, oculis, in priuis armatis, obseruarunt. Immo in secerniculis istis pelliculae conuexae, a cuticula formatae, reperiuntur, quibus, tanquam ualulis, ostiola illorum contra iniurias aeris extrinsecas muniuntur, ne occludantur facile, et transpiratio, uel ad momentum, cum summo uitiae detrimento, intercluderetur. His, insuper accedunt pili cutis, quibus totidem ueluti fistulis acuminatis, seu pyramidalibus, aequae ac in plantis, extra cutim magis porrectis, halitus eiusmodi transire, eoque facilius et liberius euaporare queunt.

B

TH. VI.

TH. VI.

Atque harum glandularum, tubulorumque subtilissimorum beneficio, halitus isti, facta quidem prius sufficienti digestione, praeparatione, et solutione partium, ut impulsus et appulsus sanguinis, per orbem suum continuo promoti, solo transcolationis modo separantur, ac ueluti filtrantur; quando scilicet sanguis nouo subinde fucco chyloso perfunditur, et per orbem ad omnes arteriarum extremitates propellitur, continuante simul motu intestino et digestorio, fieri non potest, quin ibidem quoque partes eius subtiliores resoluantur, et modo largius, modo parcius, pro causarum organorumque constitutione propellantur: Nulla hic opus est alia facultate expultrice, uel fermento aliquo speciali, nisi quod succus quoque nerueus subtilissimus et elasticus per neruos, arteriolarum comites, in glandulis istis concurrat, indeque motu et rarefactione partium aucta, illa percolatio eo magis facilitetur et promoueatur: quemadmodum lienis viscus praे omnibus aliis tam copiosissimis neruis, indeque affluxu succi neruei largissimo gaudet, non tam ob sensus exquisitoris motusque maioris necessitatem, quam lymphae secretionem largiorem, de qua tot innumera uasa lymphatica, ibidem oriunda, manifeste teftantur. Cuius succi neruei adiumento, etiam glandulae faliuiales, copiosissimis neruorum ramificacionibus instructae, lympham quoque spirituosa tam largiter, in primis quando phantasia a cibo quodam siue grato, siue etiam ingrato, commouetur, effundunt.

COLLIQUATIVO.

dunt: Ligatis uero, uel dissectis nervis, non solum sensus motusque, sed etiam secretiones ibidem deficiunt.

TH. VII.

Dici autem uix potest, quot modis secrecio haec, non sine ingenti sanitatis dispendio, saepius laedatur et turbetur. Modo enim sudor redditur nimis frigidus, falsus, auferens, acidus, uel etiam foetidus; et quoad colorem croceus, uiridescens, liuescens, aut plane nigricans, quod scorbuticis, et cachecticis familiare, propter salia peregrina effluuiis hisce permista; interdum etiam oleosus, et pinguis. Neque impossibile est, uere sanguineum fieri posse, quando fortius per arteriolas impulsus sanguis, nimium resolutus, earundem oscula perrumpit. De quibus omnibus exempla quam plurima apud *Bonetum in Medic. Septentr.* nec non in *Sepulchreto*, et *Mangetum Thesauro Practico* collecta habentur. Quod uero etiam uermes et semina uerminosa cum sudore exierint, uti quidem *Henricus ab Heer*, *Rhodius*, *Borellus*, *Bartholinus* aliique referunt, non adeo certum uidetur; potius semina ista, inter poros cutis haerentia, per sudores tepidos et squalidos tantum exclusos fuisse dixerim, quemadmodum in phtirias ouula pedicularum, pilis cohaerentia, unica saepe nocte excludi, et intra paucas horas ad maturitatem augeri, notissimum est.

B 2

TH. VIII.

TH. VIII.

Sed omnium frequentissime, et in morbis quam plurimis excessu peccant sudores, quando nimis largiter et copiose, cum virium prostratione, mafismo, lipothimiis, aliisque grauissimis symptomatis, excernuntur, quorum extremus gradus non immerito sudor Colliquatius Medicis uocatur, quo non solum partes serosae et aquosae sanguinis, sed etiam gelatinosae, oleosae, pinguedo ipsa, imo et fibrosae, partibus solidis iam tum intertextae et conglutinatae, rursus liquantur, funduntur, eoque ipsa partes quaecunque carnosae, glandulosae et tendinae simul consumuntur, marcescunt, uel plane evanescunt, ut totum corpus, licet adhuc uiuum, sceleto non nisi cute uestito, simile reddatur. Non dum adeat uera et perfecta colliquatio, seu fusio, σύνθησις, θεραπεία, καὶ φθίνειν, quibus uerbis Hippocrates Aphor. 21. Sect. IV. I. Epidem: T. XXXV. c. III. II. Epid. X. III. Epidem. T. VI. S. II. Prognost. T. XXXV. et alibi genuinam uocis rationem expref-
fit, nisi simul manifesta habitus carnosus, uel partium solidarum tabescentia accedit: Vnde etiam uocem τήμε-
ροι, καὶ φθίνειν colliquefcere et tabescere communiter ibidem coniunxit, ut appareat, colliquefcere reuera plus esse, quam tabescere.

TH. IX.

Talis procul dubio erat quandam sudor ille, qui olim uniuersam Angliam infestauit, et miserandum in modum deuastauit, indeque sudor Anglicus in specie dictus, quamuis deinde etiam latius se extendit, et alias

quo-

quoque Provincias epidemice, longe lateque, cum tanta hominum strage, ut uix crederetur, tantam hominum copiam Insulam istam continere, peruersit. Oriebatur in Anglia, testibus fastis publicis, Anno MCCCCLXXXVI, et per XL fere annos ibidem grassabatur, ut quamvis brumali tempore nonnihil intermitteret, mox tamen recrudescebat, et eo magis desaeuiebat. Ex Anglia deinde per inferiorem Germaniam, Belgium, Selandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Noruegiam et Galliam ab anno MDXXV. usque ad annum XXX disseminabatur, tanta saeuitia, ut quam primum urbem aliquam populosam inuaderet, singulis diebus, obseruante Sennerto aliisque, quingentos et plures occuparet, et ex aegris uix centesimus quisque euaderet. Correpti enim omnes, praeter alia symptomata, pesti alias communia, statim sudore eiusmodi colliquatiuo diffuebant quasi, cum summa virium prostratione, qui etiam non nisi cum morbi, aut uitae dissolutione cessabat, quod multis inter uiginti quatuor horas contingebat.

TH. X.

Non solum tamen pesti, sed aliis quoque febribus pestilentialibus, malignis et ardentibus, imo et hecticis, cahecticis, scorbuticis, familiares sunt eiusmodi sudores, ubicunque textura sanguinis ita resoluitur et dissoluitur, ut partes serosae, gelatinosae, oleosae, non solum a cruro separantur; uti fit in Diabete et Diarrhoea colliquatiua, sed et simul in uaporē resoluuntur, et sub eadem forma per amputatum corporis exhalant. Dissoluitur uero sanguinis

nis contextus naturalis, quando partes in eo heterogeneous indecenti copia et modo concurrunt, eademque aliae prae aliis praedominium capessunt, praesertim uolatiles magis, quippe quae ob particulas attenuatas, acutas, in motum redactae, etiam alias in eundem motum concitare queunt. Quaecunque igitur texturam illam sanguinis ita resoluere, aut resolutionem illam quoquaque modo promouere possunt, ea quoque in causarum classem pertinent. De peste, et febribus istis pestilentialibus, nihil mirum, in quibus alias a contagio, uel alio principio nimis uolatili putrido, uniuersa sanguinis massa intimius commouetur, turbatur, et resoluitur, undstantus aestus, sitis, tantae inquietudines, uigiliae pertinacissimae, deliria aliaque symptomata grauissima, agmine quasi facto, concurrunt; Quo ipso certe fieri aliter non potest, quin in subiectis, alias aptis, sanguineis, et largiori sero praeditis, uel etiam scorbuticis, textura alias rariori cutis gaudentibus, tales sudores contingant.

TH. XI.

Idem contingit in aliis morbis, ubi sanguis, prae nimia acrimonia, ad nutritionem plane ineptus redditus, et partes illius acres, etiam cum chylosis optimis suppeditatis, luctantur, tandemque in sudores erumpunt. Ita in phthisi non solum pulmonari, sed ex aliorum quoque uiscerum uitio et corruptione oriunda, in primis in statu deplorato, cum scilicet morbus ad fatalem periodum praeceps ruit, aegri nullo

nullo symptomate magis, quam sudore perpetuo, diu noctuque fatigantr, et fere disfluunt, ut singulis noctibus, quo corpus maxime per somnum nutritri ac refici debebat, bis terue hinc cum stragulis mutare cogantur. Id quod etiam in calecticis, a febre quacunque diu uexatis, obseruatur, quorum sanguis, a miasmate impuro, in primis falso, inquinatus, aut undecunque intemperiem talem et Dyscrasiam hactenus, stucum alibilem, licet optimum et largiter suffusum, tamen minus rite digerere, et sibi assimilare nequit, quin potius turbas maiores et motum praeter naturale ex inde concipit, plures eo ipso impuritates generat, multiplicat, et inter eiusmodi turbas per ambitum corporis excludit.

TH. XII.

Adeoque omnia huc facere possunt, quae cunque motum eiusmodi excessuum, et colliquatum sanguini inducere, uel solum texturam ipsius cutis et corporis laxiorem reddere apta sunt, inter quas etiam constitutiones aeris, in primis nimis calidas et squalidae iuxta suam indolem humores nimium resoluendo, salia morbosa in motus maiores sic inordinatos concirando; uel etiam humidam et frigida, non solum serositatem in corporibus augendo, poros corporis constipando, adeoque transpirationem debitam inhibendo; ex quo deinceps impuritates cumulantur, motus intestini eo magis augmentur, et sic malo huic fore saperiuntur. Eo etiam noster Hippocrates respexit Lib. I. Epidem. S. 2. T. 10. n. et 2. Epis.

Epidem. S. 2. et 3. Aph. 6. Quum aestas, inquiens, similis fuerit Veri, sudores in febribus multos expectare licet: et L. VII. Epidem. In febribus, quae post caniculam uiguere, aegri multis sudoribus difluxerunt, eoque difficiliorem iudicationem habuerunt. Sudorem Anglicum, uti Medici tum temporis omnes obseruarunt, antequam Prouinciam illam et reliquas inuasit, praeter solitum, crassa foetensque nebula antecessit, uti uidere est apud Sennertum, Wierum et alias.

TH. XIII.

Huc pertinent omnia alimenta, imo etiam medicamenta et uenena, quae septica sua ui resolutionem et colliquationem tales humorum promovere, uel solum poros corporis aperire, et relaxare possunt. Sic compertum est a uenenis arsenicibus, et mercurialibus eiusmodi colliquationem inductam fuisse, cum subitanea totius corporis arescentia et marasma. *Leuinus Lemnius L. 2. d. Complexionibus*: Sudorem Anglicum ex abusu Vini Cretici maxime auctum fuisse, refert. *Listerus Exerc. Med. p. m. 81.* annotauit, primarium quendam Mercatorem Londinensem, catarrhi fortuiti impatientem, alias robustum et plethoricum, a sumpto largius opio, et Epsomensis aquis, tanto sudore correptum fuisse, ut ter quaterue indies industria mutare coactus fuerit, sudore nihil secius per ipsas uestes copiose penetrante, cuius uix medelam impetrare potuit. Aquae enim istae copioso sale minerali alcalico et resoluti-

uo

uo gaudent, unde etiam in magna copia ibidem excoquitur, et loco aperiui polychresti uenditur. Quibus aquis accessit largior usus opii, Sale admodum uolatili et uaporoso praediti, cuius beneficio efficaciter quoque resoluit, et sudorem aequem ac urinam potenter mouet; id quod etiam *Willius* ex crebra obseruatione compertum habuit, et *Pharm. Rat. P. I. S. VII. C. 2.* exemplis probauit; Et *Borellus C. IV. Obs. 57.* quendam ex nimia Laudani Opiati quantitate insomnum quidem incidisse, sed haemorrhagia simul larga superueniente, animam quoque efflasse refert. Eundemque adeo effectum ab aliis sudoriferis, in primis uolatilibus, largius, uel iniusto tempore, modo, et loco sumptis, contingere posse, nullum dubium est; etiam ab ipso Antimonio Diaphoretico, uti Boyleus obseruauit, minus forte praeparato, calcinato, uel eloto, ubi partes antimonii salinae et sulphureae acres quidem recluduntur, sed minus dissipantur, prout appetet, quando antimonium anatica tantum, uel dupla parte nitri calcinatur, et medicina per superiora et inferiora purgans exinde emergit.

TH. XIV.

His causis saepe accedit etiam specialis ipsorum vasorum circulantium, in specie glandularum subcutanearum, textura amplior, laxior, adeoque ad receptionem et secretionem seri copiosi aptior; quemadmodum alii ob eandem uiscerum texturam ad diarrhoeas frequentes et largas, alii ad diuresin copio-

C.

copiosam, rursus alii ad sалиuae, feminis generationem et secretionem magis proni obseruantur: Saepe quoque glandulae secretoriae a rebus aliis extraneis, motionibus corporis fortioribus, frictionibus, balneis, linimentis et similibus nimium aperiuntur, quemadmodum masticatione rerum acrum pori glandularum sалиualium magis laxantur, ut largius sалиuam suam effundant, renes ab urina acri stimulati, illius affluxum et secretionem copiosiorem efficient.

TH. XV.

Inter eiusmodi sudores excessiuos autem fieri non potest, quin totius massae sanguineae, et reliquorum humorum contextus naturalis penitus destruantur, gelatinosae et oleosae partes, tanquam uinculum reliquarum, dissoluantur, eaedemque una cum aquofis et spirituosis per ambitum corporis in auras effundantur, eoque ipso non solum omnis succus, nutritioni et augmentationi corporis necessarius, absumentur, generatio et prouentus noui alimenti impediatur, uires et tonus uiscerum, ob defraudatum alimento, deiiciantur. Ex quo etiam fit, quod multi intra paucum tempus ad extremam maciem, seu marasnum redigantur, et sceletis similes reddantur. Praeterea, qui sudoribus eiusmodi et madoribus colliquescentibus, diu noctuque fatigantur, hoc etiam incommodi habent, ut laxatis nimium poris cutis, et spiritu uitali exhausto, a quouis etiam leuissimo frigore, uel aura quacunque spirante, grauiter laedantur, et ob cohibitam subito perspirationem,

tionem, eo maiori languore, anxietatibus praecordiorum, et doloribus artuum affligantur. Vniuersalem contracturam a sudore intempestive inhibito obseruauit *Paulin C. I. Obs. 39.* In aliis serum adhuc residuum uiscidum et acre ad fauicium, colli, et pectoris glandulas decumbit, ibidemque ardores, tuses, aphthas, aliaque mala inducit, donec tandem uniuersa sanguinis massa depauperata, ob spissitudinem nimiam, ad circuitum inepta, in motu suo, et eo ipso etiam uita deficiat.

TH. XVI.

Habent quidem eiusmodi sudores suos quoque gradus et differentias: Quo maior uiscerum et sanguinis corruptio est, eo maior fit turba inter partes istas heterogeneas, eoque ipso maior et citior colliquatio. Hinc in phthisicis et hecticis potissimum tribus, uel quatuor horis a sumpto cibo, et circa noctem ingruunt, quando accedente nouo chylo, licet optimo, et transpiratione nonnihil, ob aeris densitatem, tum temporis maiorem, impedita, motus intestinus eo magis augetur, unde natura, eiusmodi motibus turbata, partes istas sibi onerosas per ambitum corporis excludit, idque indies repetit, quoties nouus e primis uis succus chylosus accedit. Quod in pluribus febribus cachecticis, aut cum corruptione uiscerum coniunctis, in primis in paroxysmorum declinatione, contingit.

TH. XVII.

Atque pro harum causarum, graduum, et complicationum cum aliis morbis, diuersitate, quam maxime uariat periculum huius mali. Non statim omnis spes reconualescentiae abiicienda, modo uiscerum adhuc integritas sibi constet, et malum non adeo inueteratum, aut cum aliis morbis grauioribus coniunctum. Praeterea magis omnino periclitantur corpora teneriora, laxiora, minus firma, iuuenilia, inuierum magis, quam uirorum, si certa fuerint paria. In febribus autem malignis semper suspecti et summe periculosi sunt sudores eiusmodi profusissimi, in primis in principio statim mali, ubi eruditatibus alias plena sunt omnia. Hinc *Riolanus* S. 3. Tr. 2. C. 48. Siue totius, inquit, ut in febribus malignis, ardentibus, hecticis, siue partis tantum aliquius fiat colliquatio, statim praedicenda mors est. Ita sudor colliquatiuus, omnem phthisin, a pulmonum non solum, sed etiam aliorum uiscerum corruptionibus oriundam, in statu deplorato comitatur, quando scilicet morbus ad fatalem periodum ruit. A solo isto symptome phthisici in ultimum marasmi gradum praecipitati, cum facie Hippocratica uitam finiunt, indeque aequa ac Diarrhoea, non immerito, inter ultima et funesta phthisis signa habetur. Licet etiam in his, ob uarias circumstantias, ad tempus remittat, ut aegri saepe de futura sanitate sibi adulenter, et spem uitae longae concipient; fraudulenta tamen haec pax non diu durat, sed, aucta interea noua

noua cacoehymia, facile rursus rumpitur, et malum eo maiori impetu ad rumam tendit. Alias tamen, ubi uiscerum tonus adhuc conservat, interdum per evacuationes alias, Diarrhoeam scilicet, Diuresin, Salivationem, aut etiam per Apostemata salutariter soluitur, de quo notaru dignum exemplum, a *Morton. Phthisiolog.* C. XI., obseruatum, in foemina quadraginta annos nata. His post quatuor hebdomadas, a puerperio elapsa, uero tempore, in acutissimos inguinum dolores incidet, Cl. Autor propinabat haustum aliquantis per diaphoreticum, ex Aqua Card. bened. Theriacak et Theriaca Andromachi: Quo factum ut in profusissimos statim, et admodum foetidos sudores colliqueceret, qui, non obstante strangularum remotione, ultra duas septimanas perdurarunt, cum ingenti uirium lapsu, tabidaque corporis consumptione. Quo obseruato, moderate adstringentia praescribit idem, sed quid sit? sudores quidem protinus cessant, uerum eorum loco Diarrhoea aequa colliquatiua, una cum tortinibus sequitur, habitu corporis indies in peiore tabis gradum ruente; quo rursus uiso, non potuit, quin opiatorum et emplasticorum usu prudenti eandem coerceret, sed ex eo rursus in Diabetem largissimam, et supremum marasmi gradum incidit misella: Hac tamen, usu Gummi Arabici aliorumque adstringentium rursus cohibita, sudores immensi et colliquatiui denuo redeunt, unde, suauis Medici istius et tempestatis uernalis, aerem Londinensem cum Aprico Hamstadiensi mutat, qua mutatione aeris in insignem saliatio-

uationem, per viginti dies, et amplius malum mutatur, dispositione tabida abduc manente, uel etiam aucta magis, uero tamen lacticiniorum, iuante aere salubri, appetitus, et cum eo, nutritio debita corporis sensim reddit. Tandem Apostemate in inguine, ubi dolor primum inuaserat, aperto, priuinae sanitati restituta fuit, et per decem, et amplius annos, incolumis uixit. Ex quo apparet, quam maxime hi affectus, Sudores, Diarrhoea, Diabetes et Salivatio conueniant, ac inter se transmutentur facile; Quantaque prudentia in ipsorum cura opus sit, ut euentus nihilominus exoptatus in statu ancipiti sequatur.

T H. XVIII.

Sed videbiimus iam, quomodo mali huius tam taediosi, tamque periculosi cura legitime administranda. Cum enim sudor talis raro, aut nunquam solitarius affligat, sed uel scorbuto inueterato, uel febribus cachecticis, imo malignis et pestilentialibus, nec non uiscerum corruptionibus internis, aliisque uariis morbis complicetur communiter; atque hi omnes ab innumeris causis remotioribus et proximioribus pendeant, quilibet sene uidet, quantae molis sit, in tanta morborum causarumque complicatione, medelam conuenientem sufficientemque inuenire: Ipsa quidem ratio eo ante omnia respiciendum esse suadet, ut resolutio, colliquatio et secessus seria sanguine nimius inhibeatur, simul tamen cause, a quibus malum oriri uidimus, tam remotiores, quam proximiores remo-

remoueantur: Deinde symptomata interuenientia alias praecaueantur, aut ad minimum mitigentur, et uiscerum omnium tonus naturalis ac robur restituatur; Sed hoc optis, hic labor est. Non certe sufficit, sudorem solitum cohibere, nec quicquam leveminis, uel emolumenti, a violenta eius suppressione aegri acquirunt, potius noua et grauiora exinde symptomata, anxietates, tormenta, inflammationes, Diarrhoeae, Diabetes aliaque mala excitantur, nisi omnes eius catiae, et morbi complicati remoueantur, nouusque succus nutritius generetur.

T H. XIX.

Adeoque consultum, et tutius omnino erit, in omnibus eiusmodi morbis, quibus malum hoc familiare est, in tempore cauere, ne illa ratione, siue Diaetae, siue Curae errore, eidem fortes aperiatur: Non mirus sudores tales, quoniam tot morbis aliis complicati, mirum quantum negotii et impedimenti Medico faciunt, ita tractandi, ut praecipitus semper respectus horum habeatur; alia nempe ratione et Methodo in scorbuticis, alia in phthisicis, haemopticis, Hecticis curentur et sic porro.

T H. XX.

Hinc laxantia et abstergentia Medicamenta tantum conueniunt, ubi sudor iste a collucre serosa, in primis vis collecta, eaque mitiora e Rhabarbaro

Gia-

Gialappa, Magnesia, Mechoacanna, Ipecacuanha, Agarico carthamo, folii senae, et similibus concinnata, et, pro indicantium suasu, pluries repetita, uel aliis alterantibus interposita; Sic *Rivierius* C. III. Obs. LXXX, solo puluere Gialappae, bis in mense cum Cremore Tartari exhibito, trium mensium spatio affectum hunc ad summum gradum auctum, a se feliciter curatum esse perhibet. Purgantia uero fortiora et emetica, in primis Aloetica, scammoniata, antimoniana et mercurialis nullum plane hic locum inueniunt, eo quod acrimonia sua irritante et resoluentे fusionem et colligationem seri magis promoveant, quam imminuant.

TH. XXI.

Multo minus Diaphoretica, uel etiam Diuretica, hic unquam prodeesse posse, uidentur, quoniam illa natura sua, siue salina et uolatili acri, siue etiam salina et terrea, vinculum sanguinis et seri eo magis resoluunt, rarefaciunt, indeque malum, non raro intulisse, aut solum promouisse supra iam obseruimus. Idem etiam de Diureticis metuendum, quorum praeterea validissima saepe urinam non promouent, eo magis uero sanguinem attenuant, rarefaciunt, maioresque colligationem efficiunt. Alia tamen ratio est cum sudoribus criticis, et quibus grauius malum remoueri, aut praecaueri potest, ubi somnino sudor etiam sudoriferis, quemadmodum dormitus, saepe vomitibus, Diarrhoea laxantibus, salivatio saliuantibus, curari possunt et debent. Ita sudor

sudor ille Anglicus, referente *Forestio*, *Sennerto*, *Wiero* et *Willisio*, sudoriferis temperatis, et debito tempore modoque adhibitis, in multis feliciter fuit curatus; Quod cum uiderint alii adhuc fani, se mutuo adhortati sunt ad sudorifera, etiam praeferuationis causa sumenda, sed sine selectu remediorum et methodo, quam maxime necessaria; Indeque infelici admordum euentu, et cum plurimorum subitanea morte. Tantum momenti in debita remediorum, etiam si optimorum, usu et applicatione situm.

TH. XXII.

Praecipua tamen curationis spes omnino in acrimoniam sanguinis alterantibus, et tonum uiscerum digerentium corroborantibus sita est; quae cunque igitur siue acrimoniam excessuam humiditate sua diluendo, siue gelatinositate blanda inuoluento et temperando, siue eandem absorbendo, figendo et ligando, simulque robur uiscerum restituendo, id praestant, ea omnia huc referri et in usum trahi possunt. Et quoniam alia piae aliis uirtutibus hisce eminent, imo pluribus indicationibus satisfaciunt, ideoque eorundem debita applicatio, et administratio prudentem omnino et circumspectum Medicum requirunt, quo deficiente, etiam optima et generosissima remedia nihil efficiunt, imo nocent. Praeceteris maximum emolumentum hic praestabunt Medicamenta gelatinosa, pulposa, et mucilaginosa, quandoquidem non solum acrimoniam colliquantem inuoluunt, temperant, sed etiam vinculum seri et

et sanguinis, imo et nutrimentum, per sudores eiusmodi absumptum, restaurant. Talia sunt decocta et infusa e Radic. Althaeae, Symphyt. Polypodii, Liquiritiae. Herb. et fern. maluae, hordei, passifl. maior et minor. ficuum, iuiubarum, et similibus : Emulsiones ex feminibus IV frigidis, papaueris, amygdalis, pistaceis, pineis ; Pulueres gelatinosi Eboris, Mandibulae Lucii piscis, C. C. philosoph. Gummi Arabici, Tragacanth., Spec. diatragacanth. frigid., de Hyacintho, Liberantes, Diamargarit. frigid., pulu. Haly contra phthisin recent. praeparat. Liquiritiae, Consolid. mai. femin. plantagin. Gelatinae ipsae eboris, ichthyocollae, priapi tauri, et similia ; qualia etiam inter remedia Dialetetica commendabuntur.

TH. XXIII.

His non immerito interponuntur etiam terrea subtiliora et mucilaginosa, Puluis Tormentill. Bolus armena, Terrafigillata, Lac lunae, Offa sepiiæ, Ebor sine igne, Corallia, Lap. cancr. Margarit. Mater perlarum, Antehect. Poter. et similia, in primis succo citri saturata, it. Lap. haematit. sanguis Dracon. Hoffmannus. Mater. Medic. p. m. 358. refert, senem LXXII. annorum diu noctuque sudoribus per spatium trimestre fatigatum, et penitus fere exhaustum, breui tempore solo Ebore sine igne, in emulsionibus dato, feliciter restitutum fuisse. Cl. Morton l. c. p. 68. sudores tales, post multa alia, ab aliis Medicis in cassum tentata, solo usu corticis Peruuiiani a se curatos, testatur.

TH. XXIV.

TH. XXIV.

Imo et Nitrata et Vitriolata huc pertinent, quoniam natura sua terrea subacida motum et aestum humorum egregie compescunt et temperant, modo respectus habeatur uentriculi et aliorum uiscerum, ne largiori eorum dosi horum tonus debilitetur. Inter quae præ ceteris excellunt et commendari merentur Nitrum ipsum depuratum, Vitriolatum, Violatum, Rosatum, Antimoniatum, Lapis prunellæ, Arcanum duplicatum, Materia perlata, seu Magisterium Nitri, Magnesia alba, Saccharum et Magisterium Saturni, Aluminis Dolaei, Tartarus Vitriolatus, Vitriolum martis, Crocus martis adstrictius et aperitiuus, Tinctura antiphthisica Grammanni rite praeparata, it. Appropr. D. Praesid. Rosar. pap. rhoead. martis pomata, cydoniata, Lapid. Haematit.

TH. XXV.

Neque etiam opium et opiata hic excludi debent, licet antea ex eorum abusu malum hoc inductum fuisse, obseruatum fuerit : modo prudenter et circumspecte, præsentibus adhuc turibus, debita quantitate, modo et regimine conuenienti adhibentur. Toto enim die experimur, quod sale suo uolatili oleoso optime temperato, egregie omnes motus et aestus humorum, etiam in parcissima dosi, mirifice temperent, fluxus omnium humorum, diarrhoeas, haemorrhagias, uomitus etc. coerceant, dolores leniant et sopiant, imo somnum quocunque tem-

tempore et loco concilient. Requirunt enim debitae succorum omnium in corpore nostro digestiones, distributiones et secretiones, certum quoque viscerum et uasculorum omnium robur et tonum, non nimis strictum, uel rigidum, ne angustatis, ant plus minus occlusis poris intermediis, impeditur necessarius succorum transitus; neque tamen etiam nimis laxum, flaccidum, ubi, collabescientibus et subsidentibus uasculis alias minimis, siccii non minus, tam in circulatione, quam digestione et secretione impediti, corrumptuntur magis, et ad secessum talem disponuntur. Vtrique autem scopo satisfaciunt opiate, eoque ipso hic quoque maximum curae momentum absoluere possunt. Cuiusmodi insignia exempla apud Ettmullerum Tract. de Vi sudorifera opii in phthisicis, sudoribus eiusmodi nimis diu noctuque afflictis, obseruata legere licet. Habent etiam phthisici et hectici prae ceteris hoc peculiare, nisi iam ad extremum tabis gradum perducti fuerint, quod anodyna et opiate facilius ferant, et insigne ex iis leuamen omnium symptomatum, et in primis quoque sudoris remissionem, sentiant; procul dubio, quod tonum viscerum in his teneriorem, laxiorem simul corrigan, eoque ipso digestionem, distributionem et assimilationem nutrimenti naturalem restituant. Cogitandum tamen semper de viribus aegrorum, indeque mitiora et optime temperata esse expedit. Qualia sunt Laudanum Opiatum, Eff. Opii Sydenham, uel similis. Pulu. Anodyn. D. D. Praesid. Pil. Eiusd. de Styrac. corr. de Cynoglossa, Diacod. Mont. Siripi papau.

papau. commun. et errat. Elect. Antiphthisicum, Diascord. Fracastorii correct. et ipsa Theriaca; Hae enim Electuaria praeter alia ingredientia alexipharmacā maxime temperata, opiatis quoque et anodynīs gaudent, multisque indicationib⁹ satisfaciunt. Vnde iam tum Galen. Lib. de Theriac. C. XV. Theriaca, inquit, sudores in cardiacis optime sifit, quando corpus sudore adeo diffusit, et vires ita dissoluuntur, ut ne unum, uel aliud rediūsum eas reparet.

TH. XXVI.

A quibusdam Practicis hic magna fiducia quoque in linimentis externis, et balneis refrigerantibus, adstringentibus ponitur, eoque fine commendantur Balnea ex herbis refrigerantibus, foliis salicis, heder. terrestr. nymphaeae, rosarium et similiū, imo et alumine; Linimenta uero ex Vnguento resumito, oleo rosarium, nymphaeae, myrtino, omphacino, cydoniorum parata. Alii laudant decubitum super strata cotiacea et linteal, cerussa, farina hordei, uel amylo perspersa: quae quidem omnia natura sua frigida constringente et condensante, uel etiam oleosa emplastica poros cutis occidunt, et egressum sudoris impedire possunt; sed, causis internis mali prius non sublati, eo maiores turbas in visceribus concitant, ut, nisi sudor priorem, aut aliū exitum rursus inueniat, exinde plura et grauiora mala, uti iam supra obseruauimus, sequantur, necesse sit. Quare cautilius cum his mercandū, eademque potius omitteranda, aut non nisi post principia, fundamento mali interno prius curato, adhibenda suaserim.

TH. XXVII.

Atque talia sunt, quae malo hujc tam graui medendo haberi possunt remedia Pharmaceutica. Chirurgia uero parum uel nihil auxiliu hic suppeditat, nisi quod Venae sectio debito tempore et quantitate instituta, interdum maximum curae momentum afferat, ubi sanguinis copia, uel solum motus difficilis, uel nimius et feroor in uisceribus simul urgent, nec alia grauiora contraindicantia obstant: Id quod etiam de scarificationibus ualeat. Vtrisque enim sanguis non solum depletur, sed eiusdem quoque feroor et aestus imminuitur, restitatio et inflammatio praecauetur, motus liberior redditur, quorum singulorum culpa sudores eiusmodi colliquatiuos non solum excitari, sed et foueri et augeri posse, ex ante dictis liquet. Sed transeo potius ad remedia Diaetetica, quorum regimen, uti in omnium morborum, ita huius in primis cura maxime necessarium, praecipuam saepe paginam absoluit. Frustra hic medicamentis pugnat, nisi Diaeta conueniens ab aegris obseruetur.

TH. XXVIII.

Vidimus autem supra, quantum aer nimis fuidus et squalidus sanguinem et reliquos humores nimium commouendo, resoluendo, simul poros cutis secretorios aperiendo; uel etiam frigidus et humidus uias istas occludendo, in producendo augendo que hoc malo ualeant. Igitur omnino cogitandum, ut aegris talibus aer non adeo calidus, neque tamen frigi-

frigidus, sed temperatus, et ipsorum intemperiei contrarius commendetur. Id quod etiam in electione locorum, ubi decumbunt aegri, et stratorum, quibus teguntur, obseruandum, ut ubiuis debita proportio et harmonia obseruetur; et si forte talis aer conueniens ibidem locorum deficit, eundem quoque, nisi quid obstet, cum alio meliori mutare licet, uti antea a Cl. Morton. cum emolumento insigni factum esse uidimus.

TH. XXIX.

Pari ratione alimenta eligenda sunt, quae causis quibuscumque morbificantibus resistunt, simul quoque nutrimentum optimum suppeditant, et totum uiscerum restaurant. Eoque fine omnino commendari merentur omnes cibi boni succi et facilis digestionis non solum, sed quae in specie substantia sua gelatinosa, glutinosa et dulci acrimoniam et motum humorum praeter naturalem efficacius temperant, inuolunt, moderate adstringunt; et quoniam in maiori quantitate assimi possunt, ad coercendos sudores plus saepe, quam medicamenta omnia, ualere obseruantur. Talia sunt Decocta, iuacula et pulmenta e gallinis, carne et pedibus uitulinis, cancris, ostreis, pineis, pistaceis, amygdalis, farina tritici, uel potius filiginis, oryzae et similibus parata cum que ouorum uitellis, gummi arabico, tragacantha, condita. Vnde Schelhammerus de febr. Hect. nihil, inquit, medicamentis quibuscumque efficitur, nisi usus cochlearum, cancrorum, it. ostrearum et mytilorum accedat.

cedat, Quae uti ualide refrigerare et glutinosa ui
aegrīs prodeſſe conſtat; ſic narcotici aliqūd etiam ba
bēre certum eſt, adeoque omni indicationi ſatisfac
re: Qūorum ſane effectus uidi, re deplorata et aliis
omnibus fruſtantis, prorsus admirandos; Idemque
Cardanus, *Conringius*, *Sennertus*, *Melbomius* et alii
multipli experientia edocti teſtantur. Et *Nic. Tul
pius Lib. II. Obs. 8.* refert, desperatam tabescentem,
fruſtra praefcriptis antea potionibus refrigerant
bus et humectantibus, oſtreis crudis uix commiſſis,
protinus integre conualuſſe. Verum nihilo ſeciuſ
in horum quoque uſu prudentia magna opus eſt, et
probe iudicandum, quantum aegrorum temperies,
et inprimis uentriculi conſtitutio, conſuetudo, mor
bi complicati, aliaeque circumſtantiae, admodum
uariantes, admittunt, uel minus. Alias his cautelis
non obſeruatis, Vae, ut cum expertiſſimo Ludo
uico loquar, hecticis, tabidisque, quando ad eius
modi reſectiua, ſefamo et papauere ſparsa, pineis,
piftaceis, et amygdalis turgentia dominantur.

TH. XXX.

Neque aliter cura lactis, a multis Practicis hic
tantopere commendata, optatos ſuccesſus habere
poteſt, niſi ratio illarum circumſtantiarum habe
atur. Omnia lactis genera parte ſua ſeroſa, gelati
noſa et nitroſa multum quidem humectant, reſri
gerant, aeftuque humorum temperant, parte ue
ro oleoſa et butyroſa ſimil quoque egregie nutriunt,
ſed tamen, ubi debilitas uentriculi et reliquorum ui
ſcerum,

ſcerum, obſtructio uaforum meſaraicorum, caco
chymia auſteria acida concurrunt, ibi partes eorum
ſeroſae et caſeoſae, aeque ac butyroſae, in primis
ſtatim uis corrumpuntur, acescunt, putrefcunt,
indeque malum potius augent, quam imminuunt.
Hinc etiam aliis ſubiectis magis prodeſt lac ca
prinum, uel aſinum, propter ſubtantiam tenuio
rem, magis ſeroſam et nitroſam, aliis ſerum iſum,
quod iſtar acidularum minus coagulatur, melius
autem abſtergit, aperit, diluit et reſrigerat.

TH. XXXI.

Pari ratione a Medico diſpiciendum, ut potus
aegrorum naturae, conſuetudini et inprimis mor
bi iſti conueniens eligatur. Cum enim talis, ſecus
ac medicamenta et alimenta, ad aliquot libras, imo
mensuras ab iisdem quotidie affumatur, ratio
ne illius quantitatis iſignis, ſi ſalubris fuerit,
maxime prodeſſe; ſi uero iſalubris et minus
aptus, eo maiorem quoque noxam afferre poſteſt.
Prae ceteris quidem, ubi deficiunt cereuſiae tem
peratae, et habentur craſſae, auſterae, acescentes,
fermentabiles, conueniunt Decocta hordei ſeu
ptifanae cum rad. cichor. liquirit. ſcorzoner. ebo
re, paſſulis, flor. roſar. papau. errat. et ſimi
libus parata; Aliis etiam ſerum lactis capri
num, uel acidulae, aquae item reſrigerantes et
confortantes, flor. borragin. roſar. acaciae, cicho
rei, acetofae, papaueris, cinamomi cydoniata pro
ſunt;

sunt; quibus pro necessitate, et uiscerum tonum confortandi causa, aliquid uini mosellani, uel similis interponi potest. Sic Mercator ille Londinensis, cuius supra ex Listero meminimus, ex uini rubri optimi usi insigne percepit leuamen.

TH. XXXII.

Tandem quoque reliquarum rerum huc pertinentium, euacuationum scilicet naturalium, motionis et quietis, somni et uigiliae, nec non animi pathematum, rationem debitam habere nouerit Medicus, ut neutrum ex his curam impedit, quin potius promoueat. Alius, nisi suo officio fungitur, leniter abstergentibus et laxantibus monenda; iusto uero laxior moderate adstringentibus sedanda: Pariter cauendum sedulo, ut in somno et uigiliis, motionibus corporis, animique pathematibus modus semper seruetur, utpote quorum excessus, uti in aliis, ita hoc in primis affectu admodum periculo, maxime noxios esse, ex antecedentibus fatis liquet. In sudore Anglo, antequam eius indoles fatis innotesceret, et aegri quietem negligerent, uix quisquam prehensus euadebat; Postquam uero aliorum periculo edocti, quantum possibile, in quiete et sudore blando conseruabantur, plerique a mortis periculo liberabantur.

Tantum hac uice.

S. D. G.

Cautelae Practicae.

I.

Si ab ulla corporis nostri excretione excessiva uires debilitentur, id maxime quoque a sudoribus nimis contingit.

II.

Ita sine offenditionis metu afferere licet, decies plures morbos ab impedita transpiratione oriri, quam omnium reliquarum euacuationum suppressione.

III.

Sudoribus colliquatiis non solum partes fluidae, sed etiam solidae corporis absumentur.

IV.

Non quilibet sudor excessiuus, statim colliquatus dicendus, sed quo nutrimentum, iam dum partibus solidis assimilatum, rursus absunitur.

V.

Sudores tales, uti in febribus acutis, hecticis et cacheticis, ita quoque in apoplexia aliisque morbis, si viribus iam fractis et cum aliis signis malis contingunt, mortem nunciant, et nullus amplius curationis locus est relictus.

VI.

Vbicunque ergo sanguinis et feri impuri abundantia

dantia et motus adest, uel soluui imminet, a fudo-
riferis uolatilibus et operosis abstinentiurn.

VII.

Sudores nimii etiam sudore, sed blando, et quiete
tutissime curantur.

VIII.

Antihecticum Poterii famosum non quidem su-
stinet laudes, quae eidem communiter tribuuntur,
locum tamen inter absorbentia meretur.

IX.

Et Tinctura antiphthisica non omnibus hecticis
prodest, imo nocet, ubi uentriculi et reliquorum
uiscerum debilitas et uasorum obstrunctiones con-
currunt.

X.

In lactis etiam cura obseruandum, ut (1) ieun-
uentriculo potissimum, et tepide bibatur (2) omni-
acida, aliaque, quae coagulationem eius promoue-
re possunt, uitentur. (3) Medicamenta, quae coa-
gulationem et corruptionem eius impediunt, inter-
ponantur.

XI.

Mere aquosa parum, uel nihil in sudoribus hecti-
cis efficiunt, quoniam per eosdem confessim ite-
rum excluduntur.

